

3471 saxum Tiburtinum tripartitum. Rep. prope Anticoli-Corrado, extat ibi in horto syndici. — Addit Zdekauer: *Le rovine dove venne trovata, sono di poca estensione, nè si può ammettere che vi sia stata una città; anzi debbono aver appartenuto ad una tenuta di piccola estensione.*

A FVRIVS R	S QVOD IN EVM T	ANSCRIPTV
EST · A · C · CAL	BASSO APSENTE	DITORE ·
N O M I N I B V S	O B V S S V B S I G N	I S P R A E D I S
S O L V I T · M I V I	S I I A N O	XII MN
5 O HS LVIII · M · N · S O L V I T	I C I I · S C I P I O N	I D I E C I C · I
		I I C I

Descriptis Zdekauer et edidit *bull. dell' Inst.* 1882 p. 252.

A. Furius Rufus, quod in eum t[r]anscriptum | est a C. Caesio Basso, apsenite [ven]ditore | nominibus [du]obus, sub-signatis praedis | solvit: M. Iunio Silano | [solvit HS] XII m[ilia] n[ummum]; HS LVIII m[ilia] n[ummum] solvit... icii (?) Scipion[i] ... [a]diect... | iic Sic legit Mommsen, qui ita interpretatur:

C. Caesius Bassus (v. 2) agrum eum, in quo titulus repertus est, vendidit cuidam homini, mandatario opinor A. Furii Rufi (v. 4), pretio sestertium LXX m. n.; quam summam deinde secundum formulam a Gaio 3, 129 indicatam expensam tulit eidem Rufo. Iam is cum solvere vellet, venditor autem (sic supple v. 2) abesset, pecuniam solvit duobus nominibus Silano et Scipioni, scilicet XII m. n. illi, huic autem LVIII, ita ut hi praediis subsignatis se obligarent pecuniam eam Basso se exsolutores esse. Simul ad fidem plene liberandam id ipsum in fundo suo incidendum curavit. — C. Caesius Bassus non solum nihil impedit quominus habeatur pro amico Persii, sed favent aliquatenus nomina M. Iunii Silani et nescio cuius Scipionis apta omnino aetati Tiberianae.

XXVI. VARIA (Vicovaro). Vallis Digentiae.

Tituli qui sequuntur reperti sunt partim ad vicos sitos a dextra Anienis, ibi ubi Licenza rivus ei miscetur, Cantalupo-Bardella (nunc Mandela) et Vicovaro (n. 3472—3484), partim in ipsa valle Licenzae ad vicos Roccagiovane Licenza Civitella Percile (n. 3485—3490). Vicovaro Romanorum esse Variam, indicatam in tabula Peutingerana (ubi legitur *Variae* pluraliter) inter Tibur et Carsiolos, VIII millibus passuum a Tibure, memoratam etiam a Strabone 5 p. 238, ubi tamen pro *Ὀυάρτα* traditur *Ὀυαλερία*, inter oppida Latina sita ad viam Valeriam, et ab Horatio ep. 1, 14, 3, qui significat vicinam eam fuisse ruri ipsius, olim viderunt partim Cluverius *Ital. antiq.* p. 783, partim Holstenius. Oppidum sui iuris fuisse Variam, non vicum subiectum reipublicae Tiburtinorum, probabile est, cum Strabo l. c. enumeret eam una cum Carsiolis et Alba Fucente inter *πόλεις* sitas ad viam Valeriam; certa res esset, si constaret verba Horatii adfirmantis agellum suum *quinque bonos solitum* esse *Variam dimittere patres*, recte accipi, ita ut accepit ea commen-

tator Horatii Porphyrio, de decurionibus, quod longe secus est; inscriptionem autem n. 3472, in qua memorantur municipes et incolae cur non ad Variam pertinere putem, exposui ad ipsam. Latinam urbem Strabo Variam appellat, ut et Carsiolos et Albam Fucentem; hae fuerunt quidem coloniae Latinae, sed deductae in agrum seu Marsorum sive Aequorum; Varia quoque non videtur fuisse Latina, sed Sabina, cum Horatius fundum suum situm, ut apparet ex loco supra citato, prope Variam constanter appellet Sabinum.

Licenza rivus, qui duobus millibus passuum supra Vicovaro in Anienem influit, videtur esse, ut primus monuit Holstenius, *gelidus Digentia rivus* memoratus ab Horatio ep. 1, 18, 164; Bardellam autem sitam loco edito a sinistra Licenzae Mandelam esse *rigosum frigore pagum* ab Horatio una cum Digentia rivo memoratam paene certum est, ex quo ad ripam Anienis inter Bardella et Vicovaro repertus est titulus n. 3482 aevi labentis cum mentione *massae Mandelanae*.

3472 tabula lapidis Tiburtini longa metr. circiter 0,75, lata metr. 0,50. Vicovari *nella piazza del palazzo* REV. (Berol.). Vicovarii in atrio [sic potius quam 'area'] palatii com(itum) de Bolognettis COD. BON. Extat Vicovaro in aedibus Bolognetti-Cenci muro scalarum adfixa.

M · HELVIVS · M · F · CAM · RVFVS
CIVICA · PRIM · PIL
BALNEVM
MVNICIPIBVS · ET · INCOLIS
5 D E D I T

Descripti. Revillas sched. Berol. et apud Muratorium sched. 18, 224, ed. 476, 11 (inde Cassio *corso dell' acque* 1 p. 103); Anonymus in codice universitatis Bononiensis n. 9, qui dicit se descripsisse; Galletti cod. Vat. 7935 f. 96' descriptam anno 1754; Bianchi *Novelle Fior.* 1764 p. 803; Chaupy *maison d'Horace* III p. 254; de Sanctis *della villa di Orazio Flacco* (ed. a. 1784) p. 60; Marini ms. Vat. 9125 f. 59' descriptam ab Amatio anno 1807; Nibby *viaggio alla villa di Orazio in memorie romane* vol. 4 (1827) p. 26, *analisi* 3 p. 487; Sebastiani *viaggio a Tivoli* p. 382; Marocco *stato pontificio* 7 p. 170; St. Viola *Tivoli nel decennio* p. 244; F. Gori *viaggio a Tivoli e Subiaco* 2 p. 6.

Nibbyus (*mem. rom.*) ex hac inscriptione et alia infra edita n. 3665, quae extat in via Valeria duobus millibus passuum a Vicovaro, effecit tribum Varianorum fuisse Camiliam. E contrario mihi, cum constet Camiliam fuisse tribum Tiburtinorum, inscriptio quoque n. 3665 sine dubio sit hominis Tiburtini, etiam haec inscriptio n. 3472 non Variana creditur, sed Tiburtina. De loco ubi haec primum e terra prodierit, nil traditur; nam quod Chaupyus p. 255 ait balneum ab Helvio Rufo extractum fuisse eo ipso loco ubi est palatium Bolognettorum propter rudera nescio quae ibi reperta (*pavés de mosaïque trouvés récemment dans le lieu qu'il occupa [le bain], qui est celui où est maintenant le château du Seigneur, comme cela se voit par les aqueducs antiques qui y aboutissaient et dont on s'est servi pour la fontaine publique dont on vient d'orner la place, qui est devant cet édifice*), id quam exigui momenti sit, quivis videt. Potest inscriptio adlata esse Vicovaro in aedes Bolognettorum ex praediis eius gentis inter Vicovaro et Tibur, potest item eo venisse ex ipso Tibure. Nihilominus, cum res incerta sit, non volui separare hanc inscriptionem ab reliquis Vicovari adservatis. — Qui titulum posuit Helvius Rufus is ipse videtur esse, qui anno p. C. 20 in Africa apud Thalam castellum fortiter se gessit et a proconsule torquibus et hasta, a Tiberio corona civica donatus est¹⁾ (Tac. ann. 3, 21), ut observarunt Bianchi Chaupy alii, adstipulantibus Marinio Arv. p. 668 not. 149 et Borghesio (apud Nipperdeium ad Tac. l. c.). Litteratura tituli aetati Tiberianae apta est. Helvius Rufus cum miles gregarius appelletur a Tacito, post illam pugnam Africanam ad centurionatum evectus sit necesse est. Merum agnomen esse Civicam etiam inde colligitur, quod id non cum nominibus in v. 1, sed cum titulo primipilaris in v. 2 coniunctum est.

1) Fieri potest ut eodem pertineat res relata a Masurio Sabino apud Gellium 5, 6, 14.